

DEFUNCTI

P. Leo Quittelier (1887-1960)

(Prov. Parisiensis)

Huius defuncti confratris memoria, tum ob praestantia ab eo gesta munera, tum ob eius virtutes et magna erga Congregationes merita, in « Analectis » nostris recolenda videtur.

Vocatio. — Natus est die 8 mart. 1887 in Flandria Gallica, et quidem in urbe Cominii (Comines), christiana prae ceteris paroecia, una ex optimis dieceseos Cameracensis (nunc Insulensis). Pater rhedarius erat, mater vero exiguum mercaturam gerebat: uterque fide pleni, honestissimi ac laboriosissimi. Pia mater a filio saepe novenas in honorem S. Antonii Patavini postulabat, ad favores temporales obtinendos. Haud dubium quin et S. Thaumaturgus spirituales quoque favores parvulo clienti addiderit. Sic puer quotidie semel aut bis, ante et post scholam ad fundendas preces ecclesiam adibat.

Ephemerides Propagatae Fidei apostolatus flammam ita in corde pueri exarserunt, ut cogitaret de vita missionarii a se eligenda. Novem annos natus, iam matrem precibus vexabat ut licentia sibi daretur se adiungendi illis missionariis a SS.mo Redemptore, quos ex missione data in paroecia noverat. A quodam viro, cuius filius aliquanto tempore Operariis (Uvrier) studuerat, edocta mater, filium suum Leonem Insulas (Lille) duxit apud Redemptoristas, quorum Rector candidati admissionem, aetatis causa, in annum distulit. Multas abhinc preces effudit puer ut morae sibi minuerentur. Prudens mater filio suo sacrificia imposuit, quo melius ad vitam religiosam praepararetur. Eadem filio suavit ut, cum prima vice ad Sacram Synaxim accessurus esset, undecimo anno completo, a Iesu vocationis confirmationem peteret. Quod ipse fideliter postulavit cum magno animo ad rem exsequendam. Mense iulii 1898 mater et filius Insulas redierunt. Ad dimidium mensis eos distulit Rector, Patre Ach. Desurmont tunc visitationem peracturo et futurum iuvenistam recepturo. Eheu! paucis elapsis diebus, inopinato P. Desurmont mortuus est. Nihilominus Rector eum inter futuros iuvenistas adscripsit, in novo Iunioratu de Houdemont studia peracturum. Haec inter, novus Superior Provincialis, P. Godard, Iuvenatum erigendum esse decrevit S. Mauritio, prope Insulas; inde nova ingressus dilatio. Hoc novo nuntio deceptus, iuvenis noster confestim Insulas pedibus adit, 20 km. percurrrens, ubi tandem certae spei factus est plenus. Denique die 12 oct. 1898, a patre

ductus, villam S. Teresiae ingreditur, a communitate Insulensi iuvenatui novo commodatam. Sic ipse primus Provinciae Parisiensis iuvenista fuit.

Iuvenatus. — Haec nostri Iuvenatus fuerunt initia: parva domus, sed hortus magnus; regimen paternum, sat tamen austerum; nullus ad paternam domus reditus, nec feriarum tempore, ne quidem ante novitiatum! Iuvenatus Gallicus ab initio (1868) quasi vestibulum novitiatus excogitatus fuerat. Pietas principem locum habebat; studia tamen serio ducebantur, sed semper intuitu vocationis clericalis, « Ratione Studiorum » S.I. adhibita, aetatis nostrae accommodata. Gradus academici excludebantur; timebatur ne forte esset occasio vocationis amittendae. Haec quidem ratio gubernandi iuvenes nostros, posterius mitior effecta est ac moribus novis adaptata.

Persecutione iam imminente et numero adolescentium crescente, Iuvenatus anno 1899 Ruminæas (Rumillies) prope Tornacum, in Belgio, translatus est. Sic pro nostro iuvenista incipiunt anni exilii, qui usque ad munus Provincialis (1930) protrahentur.

Novitiatus et Studentatus. — Die 15 iul. 1904 ingreditur Novitiatum de Glimes (in Brabantia Belgica), ac die 15 aug. 1905 vota emittit inter manus Rev.mi P. Raus. Philosophiae vacaturus, mare transit, et Studentatum adit anglicum, qui ante tres annos studentes nostros, expulsionem e Gallia praevenientes, acceperat. Insequenti anno redit in Glimes, ibi Philosophiae cursum confecturus cum neo-professis; iam enim novum monasterium in Esschen (in Provincia Antverpiensi) a P. Franc. Godts, Prov. Belg., nobis aperiebatur. Die 21 sept. 1910 Fr. Quittelier sacerdos efficitur. Sed eodem anno Superiores Studentatum iterum transferre coguntur, et, post multas inquisitiones, diversorium (Kurhaus) inveniunt Falcoburgi situm (Valkenburg, in Limburgo Holland.). Ibi P. Quittelier ordinarium Theologiae cursum absolvit. Cum inter discipulos emicuisset, Romam missus est ut in Schola Maiore nostra penitus perdisceret Theologiam moralem.

Conspectus Generalis. — Anno 1913 P. Quittelier in Belgium redit, ad docendam superiorem classem grammaticae. Sed anno 1914 bellum regiones et consilia subvertit! Plerique Patres abeunt ad bellum aut paroecias; ipse Muscronii (Mouscron) retinetur, ut Philosophiam doceat neo-professis, quos acies duplex quattuor annos a patria separabit. Bello sese extendente, P. Quittelier Studentium fit Praefectus ac Lector Theologiae moralis. Tristis, impar esurientibus satiandis, eos vidit inedia confectos; tres ex novem perierunt, aliis quoque fame valde pressis. Finito bello, in Studentatu Falcoburgensi Historiam docet ecclesiasticam; dein Studentium Praefectus nominatur et Lector Philosophiae

(1924), postea Rector et Director Iuvenatus Muscroniensis (1927), tandem Superior Provinciae Parisiensis (1930). A Capitulo Generali anni 1947 eligitur Consultor Generalis et Admonitor; nominatur Vice-Rector domus generalitiae. Defuncto Rev.mo P. Buys, fit, eiusdem electione, Vicarius Generalis Congregationis (27 iun. 1953 - 6 feb. 1954). Post aliquot menses Rectori domus Dunikercanae (Dunkerque) in Africam misso sufficitur; anno 1956 redit Bononiam ad Mare (Boulogne-sur-Mer), ibique fit Admonitor et Minister. Inter ea S. Sedes ei committit plures Congregationes, numero pauciores subiectorum, aliis coniungendas.



Ratio agendi in diversis muneribus. — Liceat nobis Patrem Quittelier circumspicere examinando quomodo se gesserit in diversis muneribus ipsi concredit.

Lector Historiae non credulitate ducitur, sed discipulos ad crisim fontium format, sive sibi legenda sint documenta sive componenda historia. In *Philosophia* docenda, curat ut discentes philosophare sciant, veritatem semper quaerant ac doctrinam orthodoxam, systemata noverint diversa, etiam erronea, quo melius ista refutare valeant. *Socius Studentium*, iuvenibus excursus varios et longos ac iucundae recordationis procurat. *Director Iuvenatus* et Rector domus (3 annis) Iuvenistas non ut novitios tractat, attamen ut futuros religiosos et sacerdotes, eos principiis fidei imbuens ac conscientia, amore Congregationis nostrae et animarum zelo.

Provincialis (17 annis), iniquis saepe temporibus, acceperat a Rev.mo P. Murray hoc mandatum: « Tibi committo Provinciam ubi regnant bonus spiritus et observantia; spero te eam servaturum talem ». In epistola ad Provinciam suam, incipiente novo triennio (1939), formam boni superioris exhibet. Superior sit exemplar vivum ac servator Regularum et traditionum Instituti, custos animarum fratrum suorum, in eis servans vitam orationis, studii et virtutis, ipse anima totius communitatis. Missiones ipsi cordi sint. Sit homo consilii qui aperiat viam, fulciat vacillantes et validos stimulet, vires omnium adunet ut vis apostolica decupletur. Dux sit. Traditiones non sint scleroticae, sed vivae, regionibus et temporibus accommodatae; mutationes accipiat spiritui nostro conformes. Superior sit servus fratrum suorum, omnibus affectu, comitate deditus, ita ut omnes ad eum accedant fidentes, corde aperto, ei cunctas suas necessitates et pericula ostendentes; secus eius gubernatio sine fructu erit. Sciat pro fratribus et Instituto pati labores et aerumnas; ac tolerare animos ingratos et consilia non intelligentes. En typus quem sibi fixerat re perficiendum ac pro viribus opere implevit.

Ad sanctificandos confratres, multoties, bis terve quolibet anno, eos hortatur ad vitam ducendam supernaturalem, plene Deo unitam; media providet ut haec vita servetur immunis, a laboribus non mergatur sub zeli praetextu; sic tempus restringit laboribus apostolicis dandum, ac frequenter media commendat quae vitam internam fovent, ut orationem, recollectionem et silentium. Saepe subditos adhortatur ad caritatem servandam et concordiam fraternam, ad secretum celandum, ad humilitatem, mortificationem et sui abnegationem exercendas; suadet Congregationis amorem, fidelitatem spiritui et monitis S. nostri Fundatoris.

Apostolatam, utpote finem nostri Instituti, valde promovet ac necessitatem laboris intellectualis, ut praedicatio nostra sit coevis aptata, solida simul et simplex. Impellit ad promovendam in missionibus actionem laicorum, eis utendum ad parandam missionem et ducendam, tum ad eius fructus servandos, imo augendos. Sic viam paravit in nostra Provincia pro C.P.M.I. (seu « Centrum Pastorale Missionum Internarum »).

Inter media missionis Alfonsianae ad gratias multas obtinendas eminent oratio. Supplicatio perpetua ad Matrem de Perpetuo Succursu, nata in ecclesia S. Iacobi de Santiago (Chili) anno 1878, in nostras missiones translata miro fructus conversionis produxit. Impellente P. Quittelier, novum Manuale ad dirigendam supplicationem compositum fuit, sensui apostolico magis accommodatum, ut sic bonorum et conversorum perseverantia assecureretur et novae conversiones obtineantur.

Nulla domus ad Exercitia spiritualia danda in Provincia Parisiensi existebat. Quid mirum? Tam saepe a guberniis domus nostrae sunt spoliatae! Opus adorienti, Rectori Insulensi, multum adfuit P. Quittelier, hortator et fulcimen. Erecta in urbe Haubourdin (1932) nova domus multis fructibus salutis redundat.

Iamdudum nobis proposita fuerat Missio apud infideles in Africa Occidentali. P. Quittelier, una cum Provinciali Lugdunensi, missionem Africanam suscepit, tum ut opportunum exitum optatis iuvenum nostrorum, tum ut defensionis medium casu persecutionis. Sic anno 1946 ambo miserunt primum missionariorum manipulum in « Niger » et « Haute Volta ». « Difficilibus annis initiorum, Pater Quittelier Romae saepe et efficacissime auxilio nobis fuit », scribit Rev. mus P. Const. Quillard, Praefectus Apostolicus Niameyensis.

Cum Provincia Argenteratensis spatio angustiore coarctaretur, anno 1947 Provincia Lugdunensis ei cessit septem dioeceses cum una permutata domo, Pa-

risiensis vero domum Castrorudolphensem (Châteauroux) cum quattuor dioecibus in media Gallia.

Vocationes invenire ipsi cordi erat. Preces quotidianas ad has obtinendas praescripsit, ac zelum missionariorum stimulavit. Impellentibus Summis Pontificibus et Capitulo Generali, studia Iuvenatus accommodata voluit studiis publicis; ut acceptatio iuvenum et dimissio inhabilium facilius evaderet. Gradus academicos sic potuerunt sibi comparare iuvenes et Patres ingenio praestantiores.



P. Quittelier, anno 1930

Adversariis vitae religiosae in Gallia sensim placatis, impulsu praesertim « veterum militum », P. Quittelier in patriam novitiatum reducere voluit. Invento castello dicto Sancti Amatoris (Saint Amadour) in Cella Credonensi (La Selle Craonnaise), ibi novitios transduxit anno 1932. Quae domus, tempore belli 1939, multis nostris refugium fuit.

Bello ingruente, Provincialis hortatus est suos subditos ad orationem magis fervidam, in Patre caelesti confidentem, ad tutandam vitam nostram sacerdotalem et religiosam, ad concordiam inter fratres et coniunctionem perfectam cum superioribus; ut sint subiecti cum superioribus perfecte uniti, superiores rursus erga subiectos plene cordati.

A primis belli diebus, 59 Congregati fiunt milites: Patres, Fratres, Studentes, imo et quidam domuum Rectores. Insuper, cum iam impossibiles sint missiones, 15 Patres locum tenent cleri paroecialis quem exercitus absorbit. Mense maii 1940, clades immenso luctu Galliam afflixit. E nostris 30 sunt captivi; eis scripto et ope Pater Provincialis ex animo subvenit. Curis et dolore ipse afficitur, sed animum non demittit; imo, sui oblitus, alios semper confortat. Scribit: « Crucior solis vestris doloribus, quos meos facio ». Maerores et curae certe ei non desunt; anno 1941 Iuvenatus ab hoste expellitur, ut ipsi locum cedat; anno 1942, Director Iuvenatus, morbo correptus, munus relinquere cogitur sub-directori; qui, incessanti projectione telorum corde tactus, post multas indagations tandem invenit castellum quoddam ubi transferre adigitur iuvenes, quos urbana remansio semper in periculo vitae tenebat. Sed is ipse cecidit, officii victima, moriens anno 1943. Eodem anno 1943, tabes pulmonum Iuvenatum attingit; quapropter plures sunt dimittendi, quorum duo moriuntur. Paulo post, idem morbus, prae penuria cibi, Studentes impugnat. — Inter subiectos Provinciae, plures moriuntur, sive in bello ipso occisi, sive ex morbo in bello contracto. Plures imo veteres, penuria cibi, ligni vel carbonis, morte afficiuntur. Novitiatus, qui anno 1940 Studentibus locum cesserat, hospitio a Rectore Argentomensi accipitur; sed anno 1944, ob frequentes missiles aereos, urbis populatores, migrare debent; paucas post hebdomadas, exercitibus in Normanniam progredientibus, remeare cogitur Cellam Credonensem, ubi in schola paroeciali refugium invenit. Eheu! mense sequenti, in via, novitius quidam telo aereo occiditur, rediens ex ecclesia cathedrali ubi mane frater eius sacerdos fuerat factus! Periculis amotis, novitii Argentomum redeunt: ecclesia nostra ac domus multis vulneribus afflicta fuerat.

Bello finito, damna ab eo illata reparanda erant: Argentomi et Bononiae ecclesia, Dunikercae domus et ecclesia, Rhedonibus Iunioratus, omnes igne consumpti. Iunioratus tunc in castellum Etreilles transfertur, dum Iuvenatus mox Muscronium redit, ac Studentatus locatur in monasterio Visitationis sito Dreux, in dioecesi Carnutensi.



Interim P. Quittelier a Capitulo Generali anni 1947 eligitur Consultor Generalis et Admonitor, moxque Vice-Rector domus generalitiae nominatur; pluries Rev.mi P. Buys absentis vices gerere debuit. Visitator pluries a Rev.mo Patre Generali missus, hoc officio semper difficili, praesertim exeunte bello, exsecutus est cum probitate, fortitudine, prudentia et bonitate. Tandem ipse a Superiore Generali designatus fuit Vicarius Generalis, sede vacante anno 1953. Quomodo sese gesserit in his muneribus, audiamus Rev.mum P. Gaudreau Pa-

trem Quittelier ipsum alloquentem: «...videns epistolas quas scripsisti, quando clavem Congregationis tenebas, miror eas sententiis sapientibus et perspicuis atque consiliis opportunis refertas. In his invenitur testimonium indefessi laboris ac summi amoris erga familiam Alfonsianam. Talia officia non sunt e memoria delenda». Alius eminens testis scribit: «Nemo est qui eius virtutem necnon animum muneri totaliter impensum negare possit. Consueverat discrete et humiliter consilium petere: quod patuit praecipue tempore Vicariatus».

Eius mens in regendo Instituto patet allocutione qua, praeses Capituli anni 1954, illud aperuit. Finis Capitularibus assignavit: studium gloriae divinae, Congregationis emolumentum, ut fortior evadat spiritus religiosus necnon observantia regularis. Notat textum Constitutionum adaptatione indigere ad tempora nostra et novas apostolatus formas: alia corrigenda, alia magis iuridice exprimenda vel perficienda sunt, Ecclesia duce, ut missio nostra efficax maneat: «Verumtamen fiat accommodatio maxima prudentia supernaturali, ad removendum relaxationis periculum. Si volumus Congregationem manere verum fermentum vitae divinae, debet in suo spiritu manere qualem eam S. Alfonsus esse voluit; non debent destri illae notae, a S. Fundatore transmissae, scilicet amor Iesu Christi crucifixi, orationis, animarum, pietas maxima». Pariter exhortatio electioni praevia demonstrat tum spiritum vere alfonsianum et religiosum Patris Quittelier, tum eius experientiam et prudentiam in seligendis hominibus aptis.



Nemo est, praesertim dignitate eminens, qui omnibus placeat. Attamen in P. Quittelier virtutes sunt quae omnium oculis emicant.

Principia, quae eum in gubernando dirigebant, quibusdam nimis austera videbantur, sed nihil ab aliis exigebat quod sibi non imposuerit. Licet natura timidus, nunquam a correptione paterna se abstinuit, ne quidem erga potentes et durae frontis. Iuxta Regulae praeceptum, validos ad virtutem stimulabat, corpore debilibus indulgens, sibi vero asper et fortis: Romae, etsi sexagenarius, tum paupertate tum virili animo, iuniores Patres gressu provocabat, asperos clivos ascendebat, vel tollone non utebatur, dicens «Ocius pervenio»!

Intellectu acuto iam inter Studentes eminebat, ac iudicio maturo, etiam iunior, praestabat. Memoria tenacissimus erat: sermonem vel conferentiam, semel relectam, qualem scripserat talem recitabat. Post multos annos referebat verba, orationis puncta, facta, ne quidem minimis adiunctis neglectis, vel tabulam vel iconem antea visam describebat. In labore semper strenuus fuit. Iam a puero nunquam tardus scholae aderat. Quando Consultor Generalis electus est, ne sibi opera careret timuit. Sed non defuit: Vice-Rector nominatus est, munus

quidem quod non est segne ministerium, ratione habita multorum hospitem et visitorum extraneorum. Insuper confessiones assidue audiebat; conferentias, recollectiones et exercitia spiritualia in se suscepit, ino et deficientem forte ecclesiae nostrae confessarium ipse supplens. Diebus bene partitis, pro multis rebus agendis tempus inveniebat.

Religiosus vere Deo deditus, semper conscientia ductus, sui oblitus, nihil quaerens nisi Dei gloriam, animarum salutem, fervorem Instituti et Regularum observantiam. Abhorrebat a sola cogitatione suo officio utendi ut sibi commoda, delectas res et licentias tribueret, aut se a quadam observantia eximeret. Cum iter erat facturus, maturius e lectulo surgebat, ut posset semihoram ante missam orationi impendere, animo magis recollecto quam in via. Ut tempore gauderet longiore, semihora ante sonitum campanae exsurgebat; sic ante meditationem iam horas Breviarii minores absolverat. Munere suo aliquando impeditus quin per diem perageret visitationem SS. Sacramenti, Rosarium, Viam crucis, ea faciebat post vespertinas preces, etsi aliquoties somno oppressus. Sedulus omnia exercitia pietatis, etiam pomeridiana servabat, Regula praescripta vel traditione commendata. Diebus recollectionis menstruae nullum suorum « paenitentium » excipiebat. Homo Dei fuit qui, semper humanum sensum servans ad iudicandum res et homines, ad discernendum, ad commiserandum, ad gratiam faciendam, iudicia tamen et praescripta lumine supernaturali perfusa promebat. Homo Dei apparebat in meditatione, missa celebranda, divino officio recitando, sacramentis administrandis; et in reverentia erga superiores, sive benedictionem sive licentias vel minimas poscendo.

Sane maluisset vitam egisse missionarii, ad quam puer iam tendebat; nihilominus nunquam tentavit se subtrahere servitutibus munerum lectoris, praefecti, rectoris et provincialis. Factus denuo simplex Congregatus, nunquam recusavit quemcumque laborem a rectore propositum, quamvis ad illum forte imparatus, ideoque sibi magis onerosum; sed voluntatem Dei unice quaerebat.

Superior, sed a muneribus abalienatus, libenter ea deposuisset, intimis confratribus testibus. Regulae observantissimus, ab aliis etiam Regulae observantiam exigebat. Congregationis filius erat addictissimus et devotissimus. Confratribus quoque vires suas et tempus devovebat. Cellam ingredienti, subridens, cum verbo iocoso, recipiebat. Romae, intransitum accipiebat sermone nativo: quod quidem iucundum est ei qui procul a patria versatur! Ideo didicerat linguas diversarum regionum quarum erat consultor vel quas visitabat. Epistolis cito respondebat, rebus administrationis adiungens res diversas quarum notitia acceptorem delectaret. Paternum amorem exhibebat, praecipue tentatis, dolentibus, aegris et captivis. Libenter iocosa in recreatione dicebat vel ad ea impel-

lebat, ridens ore aperto! Comitatus eximia, hospitalitatem exercebat, quod est vere meritum in domo internationali.



Ultimi dies. — Tota vita, quod multos stupebit, P. Quittelier de valetudine sollicitus fuit. Notat ipse, in testamento anno 1918 exarato et pluries aucto; finem pessimum timebat, credens medicis, ob morbum aurium anno vitae nono contractum et neglectum, qui posset adducere amentiam vel subitanam mortem. Quater a chirurgo curatur, semper timet malum exitum doloris in capite residentis. - Revera illi succumbet. - Se fiducialiter subdit divinae voluntati. Interea semper intrepide laborat. Mense decembri 1959, bronchitide oppressus, eam non curat. Semper dicit: « Tussis, curata an non, pariter transit ». Diebus ante Natale Domini diu confessiones in ecclesia nostra excipit. Confratribus e missionibus Adventus redeuntibus fesso vultu apparuit. Attamen, quaerit consilium medici, qui magna « tensione » (28) praeditum comperit. Nihilominus confratribus, iturus ad conventum in Haubourdin pro domibus huius regionis, haesitantibus, dicit: « Ite omnes; omnia officia ipse peragam solus ». Iam scripserat conferentiam in nostra ecclesia habendam omnibus religiosis feminis die 7 ianuarii 1960. Die 3 ianuarii, surgit, meditationem peragit, missam celebrat, homiliam ter pronuntiat. Meridie hilaris est, ut solet. Pomeridiano tempore Breviarium in hortulo recitat, benedictioni vespertinae praesidet. Hora vero 18,15 strepitus auditur corporis cadentis. Rector, vicinus, pulsat ianuam Patris Quittelier quem invenit iacentem et frustra enitentem ut exsurgat; qui dicit: « Nihil est, cecidi ». Non valens ipse solus, Rector vocat duos proximos Fratres; eum levant, vestes exuunt renitentem: « Nullum malum habeo ». Vocatus medicus hemiplegiam comperit, multum sanguinem subtrahit, et monet Extremam Unionem conferendam, dato mortis periculo. Pater Quittelier, Patribus et Fratribus circumdatus, eam pie accipit. Attamen, postridie, non conscius impotentiae, missam celebrare vult. Deinde infirmus semper excubitozem habuit. Diebus sequentibus plerumque non erat sibi conscius; attamen saepe orabat aut missae gestus repetebat. Bis refici potuit S. Communionem, agnoscens divinam praesentiam. Tunc voluit a Patre Provinciali peti dispensationem Breviarii! Die 15 ianuarii, anhelitus est creber; sed vespere subito sedatur. Frater statim Patres vocat, moxque P. Quittelier ultimum spiritum emittit. Comparuit coram Iesu Christo qui, ut speramus, eum ut servum fidelem suscepit.

R. I. P.

B. LELEU, C.SS.R.